

juris fundamento dici, consequenter minime attendendum esse.

306. *Solvitur instantia.* — Instant. Arrhæ non dantur nisi in signum emptionis jam factæ et perfectæ, prin. *Instit. h. t.* ergo ab eodem arrha confirmato recedere licebit, dummodo arrham amittere, vel duplum restituere quis sit paratus; cum id absolute concedatur cit. prin. *Instit. h. t.* Resp. negando ant. aperte enim ostendimus n. 300, ex jure, eam dari etiam in securitatem contractus faciendi, seu perficiendi a quo proin, non item a perfecto jam, licet arrha confirmato contractu recedere licebit.

X.

DE ACTIONIBUS EX EMPTO, ET VENDITO; AC IN SPECIE DE ACTIONE REDHIBITORIA, ET ÆSTIMATORIA, SEU QUANTI MINORIS.

307. *Jura emptori concedunt actionem empti ad consequenda ea, quæ ei debet venditor; et huc actionem venditi ad consequenda, quæ ex debet emptor.* — Constat ex dictis, emptionem venditionem esse ultro, citroque obligatoriam, ita ut vi illius ad quædam obligetur venditor emptori, et hic ad quædam illi. Quapropter jura utriusque actionem concedunt, venditori quidem actionem venditi, seu ex vendito ad consequenda ea, quæ eidem debentur ab emptore: huic vero emptori nempe actionem empti, seu ex empto ad ea consequenda, ad quæ eidem vi emptionis venditionis obligatur venditor.

308. *Actio venditi, seu ex vendito, quid?* — Queritur I. Quid sit, et ad quæ detur actio venditi, seu quod idem est, ex vendito? Resp. I. « Actio ex vendito est, quæ competit venditori ad consequenda ea, quæ ei ab emptore præstari oportet, » sunt verba l. *Julianus. 13. § 19. ff. de Action. empti.* Oritur statim, ac de re, et pretio inter contrahentes absolute conventum est, § 1. *Instit. h. t.* institui tamen cum effectu non potest, antequam a venditore res tradita sit, l. *Qui pendentem. 25. ff. de Action. empti,* aut saltem pro tradita habeatur, ne scilicet pereuntia, l. *Cum emptor. 5. ff. de Rescind. vendit.* ubi: nomine mortuo perinde habenda est venditio, ac si traditus fuisset. »

309. *Ad quid detur?* — Resp. II. « Actio venditi competit venditori ad consequenda ea omnia, quæ ei ab emptore præstari oportet, » cit. l. *Julianus. 13. § 19. ff. de Action.*

empti. Patet inductione. Sic imprimis datur ad consequendum « pretium quanti res venit: » cit. l. *XIII. § 20. item « usuras pretii post diem traditionis: »* ut ibidem dicitur. Tertio datur ad recuperandas expensas, si quas forsitan in res jam venditas bona fide fecit. l. *penult. c. de Action. empti.* Quarto si ex dolo emptoris venditor rem minoris vendidit, ac a parte rei valet, ut si emptor ei dolose persuasit animal vendendum esse morbosum, hæreditatem exiguam, etc. competit venditori Actio venditi « quanti pluris » res vendita fuisset, si deceptio illa abfuisset, cit. l. *XIII. § 5.* Et quando universaliter ab ea cuncta, de quibus inter se contrahentes specialiter convenerunt; nam « nihil magis bonæ fidei congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est. » l. *Ex empto.*

41. § 1. ff. *de Action. empti.*

310. *Actio empti, seu ex empto, quid et quando oriatur?* — Queritur II. Quid sit, et ad quæ detur actio ex empto, seu empti? Resp. I. Actio empti est, quæ competit emptori ad ea consequenda, quæ ei a venditore vi contractus debentur: l. *Ex empto. 11. ff. de Action. empti.* Oritur statim, ac perfecta habetur venditio, § 1. *Instit. h. t.* donec tamen pretium ex integro solvatur, vel saltem realiter offeratur, cum effectu contra venditorem institui non potest, l. *XIII. § ff. de Action. empti;* ubi etiam ratio redditur, quia donec pretium solvatur, « venditor quasi pignus retinere potest eam rem quam vendidit. » Nisi forsitan fidejussorem, aut hypothecam dedisset emptor, aut alio modo satisfecisset, l. *Ul. res. 53. § 18. ff. de Contrah. empt. l. Procuratoris, 5. § 18. ff. de Tribut. action.* Aut credito rem vendidisset venditor, fidem habendo emptori sine ulla assecuratione, l. *Quod vendidit. 19. ff. de Contrah. empt.*

311. *Ad quæ detur?* — Resp. II. Actio empti, seu ex empto datur ad omnia ea consequenda, ad quæ obligatur eidem venditor, patet ex toto tit. *de Action. empti,* præcipue ex l. *XI,* ejusdem. In specie autem quædam adducendo, datur imprimis ad ea consequenda, nominatim in contractu expressa sunt, cit. l. *XI. ff. de Action. empti.* « Quod si nihil convenit, tunc ea præstabuntur quæ naturaliter insunt, » cit. l. *XI.* Tertio eadem petuntur fructus, commoda, emolumenta, et accessiones rei post contractum provenientes, per ea, quæ dicta sunt supra n. 227. Quarto per eandem agitur, ut venditor de evictione

caveat, l. *XI. ff. de Action. empti. § 2.* Quinto hac actione venditor compelli potest, ut vitia et onera rei manifestet, l. *Ea que. 43. ff. de Contrah. empt.* Sexto eadem actione emptor præstendit sumptus, quos in rem emptam fecit, casu quod illam iterum restituere debet, l. *Imperator. 16. de In diem addict.* Septimo hac actione etiam continentur actiones redhibitoria, et quanti minoris tantquam species sub genere, uti aperte colligitur ex cit. l. *Ex empto. ff. de Action. empti.* Verum quia de ambabus his actionibus specialia occurrunt, specialiter de eis agendum.

312. *Actio redhibitoria et quanti minoris unde originem habeant?* — Queritur III. Quid sit actio redhibitoria, et æstimatoria, seu quanto minoris? quando? qualiter? quibus? et contra quos serviant? Ponitur utraque hæc actio sub uno quæsito examinanda majoris claritatis gratia: quia multum sunt affines, et dependenter ad invicem intelliguntur. Ante responsionem notandum ædiles, curules, quorum officium erat sacras ædes et vias publicas curare, fraudesque a foro, et venditionibus arcere, Schardius, *Y. Ædiles,* edictum proposuisse, vi cujus venditores aperire tenentur morbos, et vitia, quæ in re vendenda latere sciebant, l. *I. ff. de Ædilit. edict.* Ex hoc edicto dæ profiere actiones ædilitiæ contra eos, qui edicto inobedientes, res occultis vitiis, morbis, aut defectibus infectas vendunt. Una dicitur redhibitoria, altera æstimatoria, seu quanto (sive quanti) minoris: quæ in hoc potissimum differunt, quod prima, redhibitoria nempe, detur, quando tale vitium occultat venditor, ob quod ad usum finemque intentum inutilis vel quasi inutilis est res empti, adeo ut, si illud scivisset emptor, rem merito non emisset. Altera vero, æstimatoria nempe, seu quanto minoris adhibetur, quando vitium occultatum ita est constitutum, quod, etsi scivisset emptor, nihilominus emisset, minori tamen pretio, ut cum communi aliorum declarat Abbas, in c. *Injustum. 4. h. n. 2. n. 268.* et alii.

313. *Actio redhibitoria quid, cur, et contra quos detur?* — Resp. I. Actio redhibitoria est actio ex empto competens emptori contra venditorem ad redhibendam, id est, iterum habendam vel accipiendam rem venditam, et e contra ad pretium cunctaque in integrum restituenda, casu quo tale occultavit, vel non aperuit rei vitium, et defectum, aut morbosum, per quem res vel ex toto, vel nota-

biliter reddatur inutilis ad finem et intentum ementis, adeo ut, si scivisset emptor, non emisset. Ita desumitur ex l. *Cum autem, 23. § Julianus, et l. Facta. 60, et ff. de Ædilit. edict.* Dicitur autem redhibitoria ab effectu quem habet. « Redhibere enim est facere, ut habeat venditor, quod habuerit: et quia redhibendo id fiebat, idcirco redhibitoria est appellata quasi redditoria, l. *Redhibere. 21. ff. eod.* » Vocatur etiam « Judicium redhibitoria actionis, » cit. l. *Cum autem, 23. § 7. ff. eod.* Datur non tantum emptori, sed etiam hæredibus ejus, l. *Sciendum. 19. § 5. ff. eod.* contra venditorem, l. *Si venditor, 28. et hæredes ejus, l. Cum autem, 23. § 5. ff. eod. ibi.* « Hæ actiones adversus omnes hæredes competunt. »

314. *Actio redhibitoria non datur, nisi vitium sit notabile, et quidem corporis, non animi. Morbus et vitium quomodo inter se differant.* Resp. II. Ut hæc actio detur, requiruntur plura. Et quidem primo, quod vitium occultatum non leve, sed notabile sit, et tale, ut ministerium, et usum, ad quem emitur, impediatur, vel saltem notabiliter deteriore efficiatur, consequenter in emptore illud merito verificet, quod, si scivisset, non emisset, l. *I. § Proinde. 8. de Ædilit. edict.* Secundo debet esse vitium corporis, « quoniam Ædiles de corporalibus vitiis loquuntur, cit. l. I. § 10. Si autem corporis et animi mixtum vitium est, redhibitoria locum habet, ff. 4. § 4. ff. eod. In summa, siquidem animi vitium est, redhiberi non potest, nisi, dictum est, hoc abesse, et non abest. cit. § 4. »

Porro quamvis ob occulta animi vitia, non detur actio redhibitoria proprie talis, « communi tamen actione ex empto agi potest, si sciens vitium animi retinuit, cit. l. 4. § ff. eod. » Cæterum an morbus sit, an vitium in actione redhibitoria, non attenditur; licet alias morbus et vitium inter se differant, l. *Inter. 101. ff. de U. S.* ubi dicitur, « morbum esse temporalem corporis imbecillitatem; vitium vero perpetuum corporis impedimentum, velut si talum excussit: nam et luscus itaque viliosus est. »

315. *Contra venditorem qui ignoranter vendidit rem vitiosam, non datur actio redhibitoria.* — Tertio requiritur, quod venditor sciverit latens vitium; quia contra ignorantem venditorem non datur actio redhibitoria, sed quanto minoris, l. *Julianus. 13. in prin. ff. de Action. empti.* nisi error sit in substantia; vel nisi vendatur fundus ad pastum anima-

lium, pestiferas seu novicias animalibus herbas habens; contra hujus enim etiam ignorantem venditorem actio redhibitoria datur. ff. penult. c. *Ædilit. Action.* Quod si vitium est patens, illudque ex culpa sua, negligentia, aut crassa ignorantia non observat emptor, redhibitoria actio postea ei non conceditur, ff. 1. § 6. l. *Quæritur.* 14. fin. ff. de *Ædilit. edict.* Quia talis ignorantia habetur pro scientia, textu expresso l. *Nec supina.* 6. ff. de *Juris et facti ignor.* Quid autem in foro interno observandum, habetur ex n. 175,

316. *Rescisio contractus non semper indicat contractum prius fuisse validum.* — Illud porro cum Molina, disp. 353. n. 5. advertendum, ex eo, quod leges nonnunquam dicant per redhibitionem rescindi debere contractum, non bene colligi, contractum prius in foro externo validum fuisse, et primum rescindi debere; quia rescisio in jure non semper indicat annullandum contractum, sed subinde etiam revocationem illius, quod vi contractus de jure irriti factum est, uti notat Glossa, in l. *Et eligantur.* ff. de *Doli mali.* §. *De dolo actionem.* Et quidem contractum, contra quem datur actio redhibitoria, irritum esse, non obscure colligitur ex l. *Facta.* 60. ff. de *Ædilit. edict.* ibi: « Facta redhibitione omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neque emptio, neque venditio intercessisset. »

317. *Actio æstimatoria seu quanti minoris quid? Cui et contra quos detur?* — Resp. III. Actio æstimatoria, seu quanto minoris est actio, quæ ob venditam vitio laborantem rem competit emptori adversus venditorem ad hoc, ut tantum restituatur emptori, quanto minoris emisset, si vitium scivisset. Est communis, patetque ex toto ferme tit. *Ædilit. edict.* vocatur promiscue « quanti minoris, et quanto minoris, » ut videre est Rubrica, item. ff. 31. §. 16, et aliis legibus, ff. de *Ædilit. edict.* Datur non tantum emptori, sed et hæredibus ejus, l. *Sciendum.* 19. ff. eod. *adversus venditorem et hæredes,* l. *Cum autem.* 23. § 5. eod. Quamvis, ut ex definitione patet præcise instituatur ad id, quanto minoris res vitio cognita fuisse empti, non vero ad rescindendum contractum. Nihilominus potest nonnunquam iudex etiam vi illius redhibitionem imperare; quando nempe cognoscit rem ita vitiosam, ut non expediat domino, eam habere, l. *Bovem,* 43. § 6. ff. eod.

318. *Cur detur actio æstimatoria, si læsio non*

sit ultra dimidium? — Dices. *Læsis in emptione venditione regulariter non datur actio, nisi læsio fiat ultra dimidium, l. II. c. de Rescind. vendit.* l. *Si voluntate.* 8. c. eod. c. *Cum dilecti.* 3. h. t. Atqui in casibus, in quibus instituitur actio quanti minoris, vix contingit læsio ultra dimidium: ergo actio locum habere non videtur. Resp. distinguendo: Non datur actio læsis, nisi læsio sit ultra dimidium; si læsio contingit in solo pretio, conceditur: si aliunde fit, quia v. g. venditor vitiosam rem vendit, negatur. Sciendum itaque jura, quæ nonnisi ultra dimidium læsis actionem concedunt, loqui de sola læsione in pretio, quæ fieri potest in venditione rei in se cæteroquin optimæ, omniaque vitio laborantis; si nempe eadem plus justo venditur, vel minus justo emitur. Contra reliquas læsiones, ex alia causa provenientes, jura varias actiones empti et venditi utique concedunt.

319. *Qui scienter vendidit rem vitiosam, tenetur etiam ad damna inde secuta. Qui ignoranter vendidit, ad id solum tenetur, quando minoris fuisset res empti.* — Resp. IV. Si venditor rem vitiosam scienter vendit emptori, potest conveniri ab emptore redhibitoria, vel æstimatoria actione, non tantum ad restituendum pretium, vel partem ejus: sed etiam ad compensanda omnia secuta damna, l. *Julianus.* 13. princ. ff. de *Action. empti.* l. *Quæro.* 58. ff. de *Ædilit. edict.* Si vero et ipse vitium ignoravit, de damnis non tenetur, sed sola actione æstimatoria conveniri potest ad restituendum id, quanto minoris res ob vitium illud valet, cit. l. *Julianus.* 13. ff. de *Action. empti.* uti jam dictum supra n. 186. 187 et 188. ubi etiam numer. 184. annotatio utilis apposita habetur.

320. *Tempus ad actionem redhibitoriam est semestre: ad æstimatoriam vero, annus.* — Quæritur IV. Quantum tempus concedatur a jure ad intentatas actiones redhibitorias, et quanti minoris? Resp. I. Regulariter loquendo, pro instituenda actione redhibitoria sex menses conceduntur, l. XX. § fin. ff. de *Ædilit. edict.* ibid. « Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet, etc. quod tempus ex die venditionis currit, aut si dictum promissumve quid est, ex eo, ex quo dictum promissumve quid est. » Pro actione æstimatoria vero annus utilis datur. cit. l. et § ff. eod. ibi: « Si autem non redhibeatur, sed quanto minoris agitur, annus utilis est. » Concordat, l. II. c. de *Ædilit. edict.*

321. *Quando ob vitium conceditur actio redhibitoria, potest emptor loco illius assumere æstimatoriam. Anno elapso præscribuntur in foro externo actiones redhibitoria et quanti minoris: in foro interno tamen manet obligatio.* — Resp. I. Si vitium occultum ita inficit rem venditam, ut propterea de jure licitum sit emptori actionem redhibitoriam instituere contra venditorem, in libertate emptoris positum est, intra sex menses vel actione redhibitoria, vel quanti minoris agere, ita tamen, ut si aliquando unam assumit, variare amplius non possit, textu claro. l. *Si is qui.* 25. § 1. ff. de *Except. rei. judic.* l. *Si quid.* 48. princ. ff. de *Ædilit. edict.* Quod si vero nullam intentaverit actionem infra sex menses, post illos adhuc intra annum actionem quanti minoris instituere, l. *Si tamen.* 42. § 2. ff. eod. ibi: « Non nocebit emptori, si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum æstimatoria agere. » Elapso autem anno nullam amplius nec æstimatoriam nec redhibitoriam intentare licebit, quia eo tempore præscribuntur. l. *Cum proponas.* 2. c. de *Ædilit. action.* ibi: « Etenim redhibitoriam actionem sex mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi manifesti juris est. » Intellige in foro externo; quia in foro interno semper manet obligatio restituendi, vel compensandi id, quo unus contrahentium alterum inique deceptit, vel damnificavit, Molina, disp. 353. concl. 2: Covarruvias, regula possess. 2. p. § 11, n. 5; Layman, lib. III. tract. IV. cap. XVII. n. 15. alique communiter, arg. reg. *Peccatum juris.* in 6. dictumque jam est supra.

322. *Quoties res tali laborat vitio, quod si emptor scivisset, non emisset, contractum nullum esse, et redhibitoria agi posse, volunt plures.* — Quæritur V. An emptio venditio toties pro invalida habenda, et consequenter contra eam actio redhibitoria admittenda sit, quoties venditor tali vitio affectam rem scienter vendit, quod, si scivisset emptor, non emisset? Non desunt affirmative respondentes, intra quos sunt Navarrus in *Manual.* c. 23, n. 89; Parormitanus, in c. *Injustum.* 4. de *Rerum permut.* n. 2. pluresque alii citati a Rebell. p. 2. lib. IX. q. 9, n. 2. Fundamentum eorum est; quia abesse videtur consensus, eo ipso, quod si emptor scivisset, non emisset: deficiente autem consensu, deficere contractum, extra controversiam est l. *In venditionibus.* 9. ff. de *Contrah. empt.* Quo non obstante.

323. *Statuitur, declaratur, et probatur sententia contraria.* — Resp. I. Regulariter loquendo non debet pro invalida haberi emptio venditio, nec admitti actio redhibitoria ex eo præcise quod si vitium latens scivisset emptor, mercem non emisset; sed debet adesse vitium in substantia, vel tale, quod usum finemque ementis vel totaliter impediat. Ita sentiunt Palao, disp. 3. de *Justit. commut.* punc. 22. n. 11; Valent. disp. 5. qu. 20. pun. 4. concl. 2. et 4; Petr. Navarr. de *Restit.* cap. II. n. 59; Molina, Layman, et communior aliorum, arg. l. I. § *Proinde.* — 8. l. *Ob quæ vitia.* 4. ff. de *Ædilit. edict.* Ratio est, quia si ex præfata causa sola invalidus esset contractus, sequeretur grande, bonoque reipublicæ utriusque summe præjudicium absurdum, videlicet, quod innumeri contractus, professiones, electiones, matrimonia, etc. essent invalidi; eo quod plurimi eorum non essent facti; si omnes latentes defectus, vitia, vel circumstantiæ fuissent præcognitæ, prout consideranti patet. Hinc, ut bene observat Palao loc. cit. an invalidus vel invalidandus sit contractus aliquis, emptio venditio v. g. principaliter non attenditur, an emptor omnibus cognitis empturus fuisset, vel non: sed attendi debet, an jure naturali vel positivo contractus annulletur, vel non; si enim nullo horum annullatur, subsistet; etsi unus contrahentium omnibus cognitis non contraxisset.

324. *Quapropter ad propositum, quia nec naturali, nec positivo jure annullatur emptio venditio rerum vitio laborantium, nisi vitium vel defectus versetur circa substantiam, vel merces ad ministerium hominis, usumve intentum reddat inutiles, vel quasi inutiles.* cit. l. I. § *Proinde,* et l. *Ob quæ vitia,* 4. ff. de *Ædilit. edict.* valebit, nec actionem redhibitoriam patietur; et si res vendita levi aliquo, cæteroquin tamen tali labore vitio, quod si emptor scivisset, non emisset.

325. *Respondetur ad fundamentum adversariorum.* — Ad fundamentum adversariorum respondetur; negando suppositum, toties deesse contrahendi sensum, quoties quis non contraheret, si omnino circumstantias perspectas haberet; tum quia ex eo solum, quod empturus non essem, si scirem, quod modo ignoro, non sequitur, quod nunc revera non consentiam, vel consensum hanc rem emendi non habeam; sed tantum consensurus non essem, si notitiam perfectam haberem; quia in simili casu circa ignorata, nulla ha-

betur voluntatis actualis operatio, sed tantum animi dispositio, et habitualis quædam inclinatio. Aliud foret, si intentio mea ad aliquam qualitatem actualiter dirigeretur, dicendo v. g. vel cogitando. Volo hanc, et non aliam rem emere, vel volo emere, si hæc vel illa conditio adsit, vel absit; tunc enim cum voluntas nonnisi in objectum tali qualiter affectum feratur, verus consensus deest, si qualitas abest. Et ita abesse videtur, quoties defectus versatur circa substantiam, vel ad finem intentum inutiles reddat merces; eo quod voluntas actualiter dirigatur ad hanc, et non aliam substantiam, v. g. vinum non cereviam: simulque actu intendat rem pro fine utilem, non vero inutilem comparare. Ita post alios ad propositum sapienter discurret Friderich, h. t. n. 326.

§ XI.

DE LÆSIONE ULTRA DIMIDIUM, ET ACTIONE OB ILLAM COMPETENTE.

326. *Proponitur status questionis.* — Contingit non raro etiam in rebus nullo penitus vitio, aut defectu, vel saltem nonnisi manifesto, qui utrique contrahentium patet, laborantibus, lædi unum contrahentium in pretio; et hoc vel ex mutua ignorantia, vel ex deceptione alterutrius: ut si v. g. emptor dolose, vel ex ignorantia persuadeat venditori, rem minus valere, ac revera valet; vel e contra venditor inique, vel pariter ex ignorantia credere faciat emptorem, rem plus valere, quam a parte rei valet: vel unus absque alterius persuasionem rem aliter, ac meretur, aestimat, sicque vilis emit, vel carius justo vendit cum alterius contrahentis læsione, ac detrimento. Hinc, quia contra hujusmodi lædentes non datur actio redhibitoria, nec quanto minoris, indagatur in præsentia, an, et quomodo jura succurrant taliter in pretio læsis.

327. *Regulariter loquendo, læso in pretio non competit de jure civili actio; nisi læsio sit ultra dimidium.* — Queritur I. An cuius qualitercunque in pretio læso succurrant jura, actionemque contra lædentem admittant? Resp. I. Regulariter loquendo, neque in foro civili, neque canonico externo, ulli in pretio læso directe succurritur, vel actio conceditur contra lædentem, nisi sit læsio ultra dimidium. De jure civili certum est apud omnes ob expressam dispositionem celeberrimæ illius legis 2. c. de Rescind. vendit. et l. Si voluntate. 8. c. eod. ubi habetur, « neque bonam fidem, neque ullam rationem concedere, rescindi contractum, nisi minus dimidia justii pretii. quod fuerat tempore venditionis, datum esset. » Ratio est, ut communiter advertunt doctores ne nimium multiplicentur lites: cum enim hujusmodi læsiones in pretio sint frequentissimæ, et quasi quotidianæ, nullus esset finis litium, si cuivis ob quamvis læsionem actio concederetur: unde merito jura statuere, quod ubi læsio ultra dimidium non esset, nullus in foro externo audiretur.

328. *Idem est de jure canonico, loquendo de foro externo.* — Quod neque de jure canonico in foro externo ecclesiastico læsis in pretio directa concedatur actio, nisi læsio ultra dimidium, tenent Palao, disp. 5. de Justit. commut. punct. 17, § 2, n. 6, allegans communem; Pinel, in l. II. c. de Rescind. vendit. p. 2, c. II, n. 36; Haunold., tract. X. cap. I. n. 236. cum communi aliorum. Et probatur ex c. Cum dilecti. 3. et c. Cum causa. 6. h. t. ubi juri civili conformiter nonnisi læsis ultra dimidium conceditur actio contra lædentem: nec extat ullus canon, infra dimidium læso actionem concedens, vel legibus quid contrarium statuens. Ubi autem leges non contradicunt sacris canonibus, etiam in foro ecclesiastico sunt servandæ: « Nam sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, » ait Pontifex c. I. de Novi oper. nunt. Quod tunc præcipue procedit, ratio dispositionis civilis etiam in foro ecclesiastico militat; uti in præsentia res se habet: cum diminutio litium (quæ est ratio dispositionis civilis) vel maxime attendatur in foro ecclesiastico, utpote cui proprium est, lites pro possibili amputare et evitare, prout liquet ex tota dist. 90.

329. *Succurritur tantum hoc jure læsis per denuntiationem evangelicam.* — Dicitur notanter « actio directa neque in foro ecclesiastico » conceditur, quia indirecte, per viam scilicet denuntiationis evangelicæ in hoc foro succurritur etiam læsis infra dimidium, eatenus, quatenus, si, qui læsit, admonitus non restituat, denunciari possit judici ecclesiastico, qui eundem per censuras et alias pœnas ad id compellere valet, ad quod sub peccato mortali tenetur, arg. c. Novit. 13. de Judiciis. Et hoc est, quod dicere volunt Navarrus, in c. Novit. de Judiciis.

§ XI. DE LÆSIONE ULTRA DIMIDIUM, ET ACTIONE OB ILLAM COMPETENTE. 491

notab. 6. coroll. 13. princ., Fachin., lib. II. c. xxv. et alii, dum dicunt, etiam læsos infra dimidium in foro ecclesiastico audiri, ut proin merito ab aliis citentur tanquam conclusionis adversarii.

330. *In foro interno etiam infra dimidium lædens ad restitutionem tenetur.* — Resp. II. Non obstante, quod in ullo foro externo concedatur actio contra lædentes in pretio, nisi læsio sit ultra dimidium. Nihilominus in foro interno quivis etiam infra dimidium lædens ad restitutionem tenetur; etsi ex ignorantia et bona fide læserit. Divus Thomas, 2. 2. quæst. 77, art. 1; Molina, disp. 350; Covarruvias, reg. Possessor. 2, p. § 7; Pirhing, h. t. n. 26; Navarrus, Layman, loc. cit. n. 5 et 6; Palao, loc. cit. n. 3, eoque teste communis et certa aliorum. Ratio est, quia ita exigit justitia commutativa, quæ in contractibus dominans servari vult æquitatem. Quia « Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiorum, » reg. 206. ff. Reg. Jur.

331. *Nisi læsio sit valde modica; vel major quædam; sed jam præscripta, aut condonata.* — Intellige tamen conclusionem conformiter dictis n. 124. ubi diximus, levem, et modicum excessum neque in foro interno attendendum esse, ob rationem ibidem allatam. Limitatur etiam conclusio in casu, quo quis bona fide lædens, excessum jam præscripsit; vel bona fide consumpsit, ditior inde non factus: vel læsus læsionem condonavit: uti abunde ex dictis patet.

332. *Ob læsionem ultra dimidium competit actio venditori.* — Queritur II. An tam emptori, quam venditori ultra dimidium læso concedatur actio? Resp. I. Quod venditori ultra dimidium læso concedatur actio, certum et indubitatum est apud omnes, eo quod tam leges civiles, quam sacri canones actionem venditori expresse concedant. Sic enim sonat celebris illa jam citata l. II. c. de Rescind. vendit. « Rem majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit, humanum est, tu vel prelium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias auctoritate judicis intercedente, vel si emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias. » Concordat, pariterque de venditore læso, et quidem solo loquitur l. Si voluntate. 8. c. eod. quod idem faciunt c. Cum dilecti. 3. c. Cum causa. 6. h. t. ut proin extra controversiam sit, venditori contra emptorem actionem competere ad hoc, ut emptor vel iterum

restituatur rem eidem venditam vel pretium suppleat; casu quo venditorem ultra dimidium læsit, v. g. pro merce centum florenis constante, quadraginta et octo tantum florenos, vel adhuc minus pretium dando. Verum hoc ipso, quod de solo venditore disponant allegata jura, controvertitur, cum etiam emptori contra venditorem in pretio lædentem actio competat.

333. *Et emptori. Correlativorum idem est judicium, eademque disciplina.* — Resp. II. Actio et beneficium l. II. c. de Rescind. vendit. etiam emptori contra venditorem competit, ad hoc, quod si ultra dimidium justii pretii pro merce dedit, compellere possit venditorem, ut vel excessum pretii restituat, vel refuso toto pretio rem venditam iterum recipiat, Abbas, in c. Cum dilecti. 3, h. t. n. 3; Molina, disp. 349; Pirhing, h. t., n. 25; testeque Haunoldo, loc. cit. n. 340, communissima, ac receptissima tam textuum quam juristarum sententia contra Cujacium, lib. XVI, observat. 48; Robert, lib. II. Animadvers. cap. XIII; Gibal. et paucos alios. Probatur conclusio. Emptor et venditor correlative opponuntur; atqui in correlative oppositis, quod de uno statuitur, censetur etiam statutum de altero; si eadem de utroque militat ratio, ut in præsentia arg. l. fin. c. de Indict. juncta l. Cum emptor. ff. de Rescind. vendit. l. I. c. de Cupressis. L. S. C. de Metallis. Hinc illud vulgatum, « Correlativorum idem judicium, eademque disciplina. » Barbosa, Axiomat. 61. citans alios.

334. *Ubi eadem est ratio, ibi idem est jus.* — Confirmatur, quotiescunque aliquod beneficium legis principaliter meritis causæ, et non intuitu personæ conceditur, tunc ubi eadem est ratio et causa, idem concessum censetur beneficium; etsi lex de una tantum persona loquatur, l. Ideo. 27. ff. de Legibus. ibi: « Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt. » Et merito quia « non possunt omnes articuli singillatim aut legibus, aut juris consulto comprehendi: sed cum in aliquo casu sententia eorum manifestata est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet l. Non possunt. 12. eod. » Hinc Glossa, in l. Illud. ff. ad Legem. Aquil. ait: « Ubi eadem est ratio, ibi idem jus esse debet: » atqui revera ad præsens eadem est ratio inter emptorem et venditorem, ipsumque beneficium legis 2, c. de Res-